DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
GENERALEM ET BREVEM TRACTATUM
DE
ANOMALIIS MENSTRUORUM
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA RITE OBTINENDA
IN CELEBERRIMA
ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT:

Franciscus Clement,
AUSTRIACUS, NEOSTADIENSIS.
Medicus Castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae
die mensis Februarii 1838.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Non mea, sed aliorum meis reddo verba.

CUNCTIS

FAUTORIBUS MEIS.

Proömium.

Responsurus legi academicae, quae cuique, antequam Laurea Doctoris ornaretur, quidquam publicae disquisitioni submittere commendat, ex vasto medicinae campo anomalias menstruorum selegi, quorum symptomata et curandi modos breviter et ingenere tibi, benevole lector, offero.

Admodum pauca, imperfecta et manca tibi trado, ast consideres, quaeso, me adhuc tironem in medicina, in pertractando hocce themate sat magnis premi difficultatibus, nec non admodum breve tempus, quo id peragere jussus fueram.

Suscipe igitur hoc primum in scientia medica tractamen meum animo benevolo ac fave.

Auctori.

De menstruatione in genere.

§. 1.

Menstruationis nomine illa secretio cruenta e genitalibus muliebribus venit, quae utero et reliquis partibus mulieris ad certum perfectionis gradum evolutis, debitaque energia provisis, certis periodis recurrens in statu normali et haud gravido a pubertatis tempore ad senectutis usque initia perdurat. Jure hic fluxus inter praerogativas humani generis habetur, licet multi auctorum eandem secretionem et in bestiis observasse, affirment, quoniam constet, quod, qui in bestiis multis occurrit similis fluxus cruentus, omni ordine sit destitutus, pruritus tempore tantummodo adpareat, ideo nullatenus pro catameniis declarari posset.

§. 2.

Tempus, quo prima vice comparet fluxus menstruus sicuti, quo penitus disparet, multum variare solet; nostris in regionibus, sub coelo temperato, anno decimo tertio, decimo quarto aut quinto puellae prima vice menstruare solent; citius id contingit in calidis regionibus, tardius in frigidis, in puellis vitam sedentariam, otiosam agentibus; sunt tamen multae causae, inferius enumerandae, quae fluxum menstruum nunc accelerant, nunc retardant.

§. 3.

Mulieres sanae inter annum quadragesimum quintum et quinquagesimnm plerumque steriles fiunt, quo tempore

menses simul deficere solent, imminuuntur nempe in aliis sensim sensimque, donec penitus sileant; in aliis vero mucosa evadit secretio, cruenta, per plures menses suspensa, quae dein iterum redit, donec praegressa nonnunquam largiore haemorrhagia penitus sufferatur. In genere autem eo diutius fluunt menstrua, quo serius ingruere et vice versa. In gravidis purgatio menstrua plurimum silere solet, nec tamen id semper contingit; sic et lactantes foeminae plerumque mensibus destituuntur; sunt tamen aliae, quae plethora aut robusta constitutione gaudent, aut e contrario, in quibus sensibilitas, debilitas aut laxitas praevalet, quae tum temporis quoque mensibus salutantur.

Relictis phaenomenis introitum fluxus menstrui praecedentibus, illumque concomitantibus, omissis opinionibus variis, unde promanat sanguis menstruus et hypothesibus multis de ejus causis, de natura et qualitate sanguinis menstrui, hic solummodo mensium anomalias perscrutari tentabo.

§. 4.

Quodsi organismus muliebris ad certum usque gradum evolutus est, fluxus menstruus, uti supra jam monui, in lucem venit, quapropter fluxum menstruum tantummodo phaenomenon externum processus vitalis in toto organismo, praeprimis vero in utero, qui sui perfectionem attigit, vigentis esse nullus haesitabit. Quum igitur fluxum menstruum quoad periodum suam, quoad quantitatem et qualitatem contemplemur, ejusque praematurum ingressum aut serotinum, ejus retentionem, supressionem etc. qua morbos statuemus, ad organismi totius processum vitalem ejusque praeprimis in organis genitalibus vigorem respiciamus necesse est, quoniam neglecto aut praetermisso hoc respectu nec vera, nec firma diagnosis, nec therapia congrua, imo saepe saepius perversum induci tractamen posset.

Divisio anomaliarum menstruationis.

§. 5.

Dividi possunt anomaliae seu morbi menstruorum in illos 1. sub evolutione, 2. sub decursu et 3. tandem sub cessatione.

Primo ordini inserenda putavi: a) menstrua serotina, b) menstrua praematura.

Secundo: a) menstrua retenta, b) menstrua suppressa, c) menstrua parca, d) menstrua largiora seu profusa, e) menstrua dolorifica, difficilia, f) menstrua, quae alio comparent loco (vicaria).

Sub tertio tandem ordine perlustrare conabor tristes omnes sequelas et vitae incommoda, quae ex cessatione menstruorum nonnunquam prodeunt, quibus qualitates sanguinis menstrui abnormes et ultimo tandem fluorem album benignum (blenorrhoeam) adnexi.

Menstrua serotina.

§. 6.

Jam supra commemoravi, introitum pubertatis nulli certo adstringi aetatis anno, sed a multis dependere circumstantiis, tam externis quam internis. Eminent inter has praecipue: clima, vivendi ratio, consuetudo, temperamentum et constitutio, quibus fit, ut nunc citius, nunc serius menstrua adpareant. Plurimum vero scire interest, an menstrua serotina pro morbosis adfectionibus, an pro retardatione naturali habenda sint.

Dicuntur igitur menstrua serotina, si qua adfectiones morbosae declarantur, illae, quae quamquam corporis evolutio in virgine, temperamentum, clima et victus ratio ea jam expostulent, quamquam molimina menstrua vera et signa pubertatis conspicua adsint, tamen non adparent. Annunciari vero solent haec molimina saepe saepius intrantibus dolori-

bus sacralibus et lumbalibus, periodica inflatione abdominis, evolutione vel tensione dolorifica mammarum.

Prodeunt quando prima menstrua vigesimo anno et adhuc tardius, imo raro habentur exempla, quod nunquam per totam vitam comparuerint.

§. 7.

Momenta, quibus menstrua serotina causantur, admodum multa eaque diversa inveniuntur. Summam inter haec attentionem expostulant:

1.) Alienatio peculiaris formae corporis muliebris a typo sexuali normali, inclinatio nimirum ad corporis virilis formam, dum caeterum organa genitalia secundum normam formata sint. Haec individua (viragines) corpore majore, longiore et latiore pectore, facie elongata, lineamentis ejus magis virilibus, pilis in labio superiore uberius crescentibus, formatione ossium firmiore, abdomine magis planato, pelvi angustiore instructa sunt. In regula apud illas functio organorum genitalium serius evolvitur, et anno decimo octavo aut vigesimo prima vice menstruis salutantur, quae saepe saepius nonnisi summis sub doloribus in conspectum veniunt.

2. Plethora universalis, quae phaenomenis sat notis palam fit. Animadvertitur ut plurimum haec constitutio plethorica in incolis ruris fortibus, sed et urbium puellae tales inveniuntur.

3. Debilitas systematis uterini topica, quae laxitate genitalium ex- et internorum, temperatura horum imminuta, stimulo sexuali deficiente, imo et atonia organorum urinalium et intestinorum crassorum sese manifestat.

4. Vita sedentaria, circuitum humorum in visceribus abdominalibus impediens, aër impurus, humidus, victus admodum frugalis aut parcus aut depravatus, animi pathemata, varia metus, tristitia, amor infelix, vita curis depressa, quibus omnibus, etsi natura expostuletur evolutio pubertatis, tamen recto tempore necessaria reproductio et for-

matio tum totius corporis, tum organorum genitalium praepeditur.

5. Irritationes locales, materiales et morbi universales, quibus evolutio functionis uterinae praepeditur. Spectant huc: vermes, diathesis scrophulosa, infarctus viscerum abdominalium, tumores glandularum meseraicarum, dyscrasiae variae imprimis psorica et syphilitica, ulcera etc.

6. Tandem atresia oris uterini aut vaginae per hymen. Suspicari potest haec atresia statim ab initio, imprimis in subjectis ceterum sanis, adparentibus omni quarta septimana diris moliminibus menstruis, intumescente insimul tum temporis abdomine, intrante sensu plenitudinis et ponderis, pressionisque profundae, quin fluxus menstruus adpareat, siquidem cetera pubertatis indicia non deficiunt.

§. 8.

Prognosis sub hac mensium anomalia statuenda admomodum diversa est pro vario gradu et tempore, quo perstat morbus, pro faciliore aut difficiliore sanabilitate morborum, qui causam menstruationis anomaliae sistunt, pro diversa aegrae constitutione et habitu, pro diversis circumstantiis externis, prouti sanationi favent aut non favent, prouti, quatenus ad morbum exasperandum multum contribuunt, amoveri possunt, aut pertinaces resistunt. Arctioribus circumscribenda limitibus prognosis, si habitum invenis, qui multum a mulieris normali deflectit, siquidem ille habitus causam fluxus anomali sistens, tolli nequit, quoniam, adparentibus quamvis menstruis, irregularem tamen periodum prosequi amarent. Id idem valet de prognosi menstruorum serotinorum, quorum fontem morbus universalis, ardue sanandus sistit. Faustior evadit prognosis, si causa anomaliae in vitio quodam organisationis, facile amovendo quaerenda est, e. g. si vagina hyeme majore et firmiore clauditur, quod organisationis vitium cauta incisione amovetur.

Contemplandi hic adhuc veniunt morbi et quidem non adeo pauci, qui menstruis serotinis in lucem vocari possunt. Quum menstrua ipsa non adpareant, sed solum molimina ad menstruationem, quae sensim sensimque intensitate, increscentia sat facile occasionem praebent ad morbos animi proferendos, ad vitam nervorum mirabili modo mutandam, quae vita mutata variis idiosyncrasiis, spasmis, chorea St. Viti, epilepsia, hysteria, somnambulismo sese manifestat, quaeque ad congestiones versus organa nobiliora, caput, pulmones, ventriculum, ad haemorrhagias, tumores varios viscerum causam largitur, hostis hic, mitem primo faciem ostendens, nullo modo negligendus, quum insimul saepe digestio et sanguificatio, generalis reproductio valde laedatur, et chlorosis, phtisis, tabes, hydrops exoriantur, quibus omnibus integritas vitae valde periclitatur.

§. 9.

Objecta eadem, quae in prognosi statuenda leges nobis praescripserant, curam fluxus menstrui serotini quoque indicant, diriguntque.

Si igitur habitus a muliebri deflectens adest, evolutio functionis, ex totius organismi evolutionis procedentis, violenta quadam impulsione systematis uterini i. e. remediis emenagogis nonnisi in summum praecipitari posset detrimentum.

Haec igitur evolutio fluxus menstrui, quae naturae opus est, arte medica solummodo cauto et prudente modo adjuvari potest. Attingitur hoc remediis tonicis, amaricantibus, amaro-aromaticis, pediluviis tempore, quo molimina intrant, vespertino adhibitis, motu musculari in aëre libero, cingulo molli, laneo, regionem hypogastricam circumdante etc. Si habitus magis ad torpidum accedit, vinum generosum, modice usitatum, ambulatio aut motus passivi (vectio equo, curru etc.) frictiones in regione hypogastrica, electricitas, multum praestabunt. Praesente statu plethorico, qui saepe saepius ad congestiones, irritationem,

inflammationem accedit, indicatio intrat, massam sanguinis imminuendi, diluendi, relaxandi fibram, et tum temporis optime conveniunt phlebotomia in pede instuta, pediluvia, balnea vaporosa, pulveres aërophori, praeterea victus vegetabilis, tartarus boraxatus, decoctum vel extractum rad. Graminis, pulvis rad. Rubiae tinctorum, quotidie ter semidrachma, balnea tepida. Nullum praestantibus hisce remediis effectum, tempore moliminum hirudines ad genitalia, cucurbita cruenta ad internam crurum faciem sunt adhibenda. Si reproductio totius corporis languet ex morbis praesentibus, illi morbi prius remediis sanandi sunt, e. g. si adsunt scrophulae, impetigines, vermes, etc. cura in has cachexias ab initio dirigatur, dein vires digestivae remediis amaricantibus, Centaureo, Millefolio, Infuso Quassiae, Cortice Peruviano etc. quibus pro variis circumstantiis et aromatica, aetherea, addi possunt, adjuventur et roburentur. Si vitae genus abnorme reproductionis languentis causa est, circumstantiae extermae emendentur necesse est, vita sedentaria commutetur cum motu musculari in aëre libero et sano, victus sit digestu facilis, animus, si forsan pathematibus exagitatur, componatur etc. Si debilitas systematis uterini topica praesto est, praeter remedia roborantia, quae processum universum adjuvant, ea etiam in usum trahantur, quorum vis in systema uterinum fortius agit. Pertinent huc: Cortex Cinammomi, Cascarillae, in torpidis et phlegmaticis individuis Gummiresinae, Gummi Galbanum, Ammoniacum, Aloë, Martialia; ad alvum segniorem promovendam infusum foliorum Sennae, radix Jalappae etc. Ad remedia externa spectant: inunctiones cum remediis aromaticis, aethereis in regione hypogastrica, emplastrum aromaticum huic regioni impositum, electricitas, galvanismus, pediluvia irritantia, frictiones ope spiritus Serpilli, Formicarum cum tinctura Cantharidum remixti ad plantas pedum, semicupia aromatica, motus muscularis assiduus in aëre libero, vectio in equo aut curru etc. Debilitate cum exaltata sensibilitate, i. e. erethismo praevalente, ubi spa-

stica contractione menstrua retinentur, methodus paccans optimum praestat auxilium; praecipua huc spectantia remedia sunt: Valeriana, Assa foetida, Castoreum etc. Si vitia organica fluxum retinent, praeprimis atresia oris uterini aut vaginae, operatio cauta instituatur, necesse est.

Menstrua praematura.

§. 10.

Menstrua dicuntur praematura, quae in puella adparent, quamquam nec aetas, nec corporis evolutio, nec temperamentum, clima aut vitae genus id sibi expostulent. Varia adducuntur ab auctoribus celleberrimis exempla de admodum praematuro introitu menstruorum. Sic *Carus* fluxum sanguineum e vagina infantum sanorum primis vitae hebdomadibus observavit; *Siebold* puellam sex annorum menstruantem; *Höller* puellam in Helvetia nono aetatis suae anno peperisse, in operibus commemorant, et *Desormeaux* exempli plane similis, quod Parisii ante aliquot annos observatum fuerat, mentionem facit.

§. 11.

Saepe dispositionem haereditariam hujus anomaliae invenire licet, ita, ut omnes ejusdem familiae puellae praemature menstruent. Plerumque tamen menstrua praematura indicia naturae debilis et instinctus sexualis fortioris sunt. In causa ideo sunt omnia, quae organa genitalia aut irritant, aut vitam eorum et energiam intendunt, ut: nutrimenta multum condita, aromatica, potulenta vinosa, spirituosa, vermes, onania, phantasia exaltata, sermo impudicus, picturae lascivae, librorum ejusdem conditionis lectio etc. sed et morbi universales, ut scrophulosis etc. ansam largiri possunt introitui menstruorum praematuro.

§. 12.

Prognosis idcirco faustior statui potest, quo minus mature, quo minori quantitate fluxus menstruus adparet, quo magis totus jam evolutus est organismus, quo facilius causae illum provocantes abigi et enervari possunt; si vero morbus universalis, e. g. morbus scrophulosus, anomaliae sublatet, prognosis nonnisi arctis restringenda est limitibus. Dispendio enim humorum corpus in evolutione sua retinetur, debilitatur, provocantur variae cachexiae, nec non raro ipsa subsequitur mors.

§. 13.

In therapia facienda praecipuus causarum excitantium ac morborum principalium aufferendorum respectus habeatur. Quare victus restringatur nimis lautus, aromatibus conditus, vini, spirituosorum omnium inculcetur fuga, irritatio a vermibus secundum regulas tollatur, onaniae dedita strictiori curae psychicae submittatur, sic et omnis immaginum et objectorum, cupidinem incitantium, fuga instituatur. Si morbi e. g. scrophulae in causa sunt, hi remediis opportunis tractentur. Sub ipso autem fluxu videndum, ne remediis quibusdam aut adaugeatur, aut subito supprimatur, sed ut in gradu, quantum fieri potest, minimo sustineatur; summa observetur quies, diaeta sit simplex. Si vero nimius evaderet fluxus, tractamen inferius adducendum contra illum instituatur, necesse est.

Menstrua retenta.

§. 14.

Audiunt menstrua retenta, quae ubi periodis praecedentibus recte et normaliter fluxere, periodo nunc ingruente non adparent, quin graviditas, puerperium aut lactatio subsint. Subjecta nonnulla e mensibus emanentibus longo satis

tempore nihil effectuum malorum experiuntur, secundaque fruuntur valetudine, pleraque tamen ocyus aut serius varia experiuntur symptomata morbosa. Huc referuntur: debilitatis, ponderis, inertiae membrorum sensus, humorum congestiones, indeque mox pressio ac pondus in pelvi, hypogastrio et regione sacrali, mox pectoris oppressio, palpitatio cordis, anxietas, vertigo, digestionis turbae etc.

§. 15.

Dispositionem ad mensium retentionem singularem ostendunt puellae debiles, phlegmaticae, lente et imperfecte nutritae, morbo vel inedia, labore nimio, humorum jactura etc. fractae.

Momenta causae excitantia aeque ac principales differunt morbi, e quibus amenorrhoea immediate proficiscitur. Sunt autem isti: a) debilitas universalis cum segnitie, torpore et lenta sanguinis crasi, per causas debilitantes communes, notas progenita; b) vel secretio in organis genitalibus per febres, morbos inflammatorios, plethoram, topicamque vasorum oppletionem, vel per spasmos cohibita; vel c) morbi genitalium organici, aliique, ut atresia vaginae, hymen imperforatum, orificii uteri concretio, uteri retroversio, indurationes, hydrometra etc.

§. 16.

In prognosi statuenda praecipue morbus, qui subest, gradus, extensio, intensitas, decursus, ratio et complicatio respiciatur necesse est. Longo temporis spatio perstante amenorrhoea transire amat in morbos sequentes: in debilitatem organorum digerentium, blenorrhoeam tractus intestinalis, fluorem album, chlorosim, haemorrhoides, nonnunquam haemathemesim, sub fine phtisim pituitosam, hydrothoracem, oedema pedum, hydropem, anasarcam et ascitem, tandem in febrem hecticam. Raro congestiones, haemorrhagiae, fluxum menstruum supplentes, ex variis organis

et organismi partibus adparent, alias autem tumores varii generis, exanthemata, morbi nervosi, periodice intrant.

§. 17.

In therapia, morbo huic superstruenda, primo causae amoveantur et saepissime, remotis his, fluxus menstrualis iterum contingit.

Si igitur debilitas universalis, sanguinis inopia, chlorosis aut alia subest cachexia, methodo leniter stimulante, roborante, simulque nutriente succurendum est; morbi uteri locales pro diversa indole diversam sibi exposcunt curam, e. g. spasmi, methodum antispasmodicam; inflammatio, congestiones, antiphlogisticam. Quodsi vero morbo, qui causa amenorrhoeae est, vel penitus sublato, vel saltem mitigato, fluxus menstruus nondum in conspectum venit, aut vero nimis parce et periodis admodum incertis fluit, aut ubi in vasis organorum genitalium insignis adest torpor, aut menstruis retentis periculum timetur, methodus emenagoga est adhibenda, quae duas medicamentorum classes, nempe pellentia, quae majorem sanguinis copiam ex internis corporis partibus versus uterum alliciunt, et attrahentia, quae ex plagis externis sanguinem in uterum dirigunt, amplectitur. Ultima remediorum classis semper magis periculo caret, et omni in casu, ubi congestiones ad organa nobiliora timendae forent, est praeferenda. Spectant ad classem primam: Aloë, Myrrha, Aquae soteriae, Borax, Ferrum, Sulphur, Tinct. Fulig., Mercurius, Colocynthides, Crocus, Quajacum, Helleborus, Galbanum et fortissimum tandem remedium, Sabina. Ad alteram: Pediluvia, et balnea vaporosa ad genitalia, frictio crurum, enemata, cucurbita ad internam faciem crurum, hirudines ad genitalia, fonticuli diu sustentati, electricitas, acupunctura.

Menstrua suppressa (Menostasia).

§. 18.

Menstrua dicuntur suppressa, quae modo fluentia subito intercipiuntur, ita ut fluere cessent, aut vero, quae periodo sequente non amplius adparent, quia sub fluxu priori suppressa sunt. Supressionem mensium fluentium repentinam dolores intensi, spasmi, aliaque symptomata nervosa vel febres, inflammationes cum nisu in secretiones effusionesque morbosas, vel vicariae sanguinis congestiones activae, et harum effectu haemorrhagiae activae, consuetim profusae, apoplexia sanguinea, paralyses etc. excipere possunt.

§. 19.

Dispositionem quamdam in suppressionem mensium invenire licet in individuis magnopere sensibilibus et in exaltata sensibilitate genitalium, qua praesente, causis excitantibus facilius et intensius agere concessum est. Quapropter subjecta irritabilia, debilia facilius huic morbo succumbunt, quam robusta et fortiora.

Causae excitantes, quae suppressioni mensium favent, sunt: refrigerium, praesertim pedum, validi animi motus, terror, ira, moeror, subitaneum pariter gaudium concutiens, influxus spasmos moventes, quoad subjecta singula diversi; phlebotomiae aut haemorrhagiae profusae, citissime derivantes, victus, pharmaca acida, austera, stiptica etc.

§. 20.

Prognosis hujus anomaliae menstruationis admodum variat. In illius determinatione momenta praecipue respicienda sunt sequentia: 1. An adsit menostasia completa aut incompleta. 2. An sit individuum plus minus sensile, quum experientia sit evictum, suppressionem fluxus menstrui in individuis irritabilibus causam saepissime largiri morborum chronicorum, tam molestorum, quam vitam summopere periclitantium, uti haemoptoës, hysteriae, spasmorum etc. 3. Periculum, quod inducunt symptomata et morbi, qui ex congestione per menostasiam inducta adparent. 4. Dispositio jam praesens, per menostasiam saepe saepius repetitam,

qua supra nominati morbi eo citius in conspectum venire solent.

§. 21.

Therapiae indicatio prima eo tendit: causam amovere et enervare. Si igitur menostasia exorta est ex animi motibus fortioribus, antispasmodica ordinabis: Valerianam, Castoreum, Liquorem C. C. succ., Opium, Pulv. Doweri. Si praecesserat refrigerium extremitatum inferiorum aut totius corporis, quadrabunt regimen calidum, cataplasmata aut fotus calidus siccus pedum, genitalium, interne diaphoretica etc. Si victus acidus aut pharmaca acida, stiptica in causa sunt, absorbentibus; et praesentibus adhuc in ventriculo cruditatibus, emeticis, imprimis Ipecacuanha opus erit.

Juxta indicationem secundam morbi antagonistici et hi quidem respectu characteris, gradus, organi adfecti tractandi veniunt. Si igitur congestiones, inflammationes, haemorrhagiae exinde ortae characterem synochae exhibent, methodus antiphlogistica in usum trahenda est. Instituatur venaesectio in extremitate inferiore, adhibeantur hirudines in interna crurum facie. Internus usus Nitri, Cremor. Tart. Acid. vegetabilium, regimen antiphlogisticum, eccoprotica multum ad aufferendum morbum contribuent. Externe sunt indicata: pediluvia et semicupia tepida, fomenta et cataplasmata emollientia. Si vero morbi secundarii characterem ostendunt erethismi, etiam hic depletiones sanguinis sed topicae tantum, et in loco organi adfecti, quantum fieri potest, vicino sunt indicatae. Ex remediis interne adhibendis seligenda, quibus irritabilitas systematis sanguiferi imminuitur et adfectio spastica universalis componitur, ex his: Digitalis purpurea, Ext. Hyosc., Opium, Pulv. Doweri, Valeriana, Chamomilla, imprimis Castoreum et Assa foetida, quibus actio expansiva vasorum uteri acceleratur, tandem Ipecacuanha dosi refracta, quae stimulum nervis abdominalibus et systemati sanguifero inferens, actionem systema-

tis arteriosi et nervosi in organis remotioribus moderat. Sed et hoc in casu ad spasmos uteri solvendos, usus remediorum externorum multum laudatur, et quidem derivantium, pediluviorum et semicupiorum, fomentorum, cataplasmatum etc.

Menstrua parca.

§. 22.

Menstrua parca ea nominabis, si mulier sub fluxu menstruo multo minorem sanguinis quantitatem perdit, quam mulier sana, constitutionis et energiae vitalis mediocris perdere solet. Quae menstrua serotina aut retenta proferunt causae, etiam hanc fluxus menstrui anomaliam, dummodo gradu mitiori agunt, in lucem provocant. Sic etiam, quae ad prognosim et therapiam spectant, fere eadem cum illis sunt, quae de menstruis serotinis et retentis valent.

Menstrua largiora, seu profusa, nimia.

§. 23.

Menstrua largiora seu profusa consistunt in eo, quod foemina plus sanguinis sub periodo menstruali excernat, quam femina sana, constitutionis et energiae vitalis mediocris excernere solet. Arduum quidem est, determinare, quando menstrua fluant nimia; nam quantitas in uno alterove individuo admodum variat. Tantummodo igitur juxta effectum, ex fluxu nimio prodeuntem status hic anomalicus est determinandus. Si igitur pulsus debilis, vel imo intermittens, debilitas universalis, frigus extremitatum, respiratio subtilis, cardiopalmus sub motu, adpetitus prostratio, moeror, vesperi oedema pedum intrant, tum temporis menstrua nimia dices. Porro, quando menstrua per longius temporis spatium (octo vel plures dies) perstant; quando saepius, quam naturae convenit, revertuntur.

§. 24.

Quae fluxum profusum provocant causae admodum variae sunt. Adnumerantur illis: Plethora universalis, irritatio organorum genitalium idiopathica aut sympathica, laxitas universalis et debilitas fibrae, vita sedentaria, imprimis in individuis laute viventibus, sensibilitas exaltata, tam universalis, quam systematis solummodo uterini, coitus justo frequentior, onania, puerperia frequentia, localis debilitas systematis uterini, crasis sanguinis scorbutica, irritamenta per bilem inducta, metastases, polypi etc.

§. 25.

Quodsi fluxus menstruus largior diutius durat, aut saepius redit, in oeconomiam animalem nonnisi male agat, necesse est. Oriuntur nempe exinde: debilitas universalis, imprimis nervorum, exinde profluentes sequelae: hysteria, spasmi varii, cachexiae et proclivitas in hydropem. Si uterus gravidus redditur, tali modo major ad abortum exoritur dispositio, evolvuntur variae desorganisationes in ejus et ovariorum substantia, et inde non raro blenorrhoea chronica, sterilitas etc. originem suam petunt.

§. 26.

Cura, ut sub aliis menstruorum anomaliis causis adaptetur oportet; quare, si plethora universalis in causa est, methodus antiphlogistica in usum trahenda est; evitentur sedulo omnia, quae plethoram augere possent, ut cibi aromatici, stimulantes, potus spirituosi, aër calidus etc. imo victus sit admodum levis, fere totus vegetabilis; instituatur pro casu necessario phlebotomia, adhibeantur acida mineralia, potus refrigerantes, orgasmum imminuentes, acido quodam vegetabili remixti, limonada, emulsio amygdalarum etc. Si subest irritatio organorum genitalium, remediis convenientibus, quantum fieri potest, componatur. Si vera laxitas et debilitas qua causa agnoscitur, remedia amara, ad-

stringentia, aromatica sunt indicata; debilitate excedente martialia. Sensibilitas exaltata exposcit antispasmodica. Scorbutus therapia congrua auferatur. Praesertim vero irritamenta per bilem, obstructiones viscerum, vermes inducta abigantur necesse est. Si vero omnia frustra diutius sunt adhibita, tunc summa verisimilitudine polypus suspicari potest, qui exploratione detegitur, et operatione exstinguitur.

Menstrua dolorifica, difficilia.

§. 27.

Sunt individua, quae sub qualibet menstruorum periodo, multis gravaminibus, uti: doloribus colicis, cephalalgia, vomitu, odontalgia, vel altiori sub gradu: cholera, lipothimia, convulsionibus, epilepsia, deliriis, melancholia, mania et variis aliarum functionum turbis vexantur. Intrant hae turbae aut sub fluxu, aut aliquot dies fluxum praecedunt.

Causa proxima hujus anomaliae quaeri debet in summopere exaltata sensibilitate systematis uterini vel et systematis nervorum totius, quo fit, ut localis irritatio uteri, quae cum intrante qualibet menstruatione intimum fovet nexum, in spasmum convertatur, et insimul remotiora systemata in compassionem trahat. Causae remotae sunt: localis irritatio et debilitas systematis uterini per onaniam, excessus in venere, hysteria, infarctus intestinorum abdominalium et iidem uteri, vermes, irritamentum specificum, saepe saepius latens, imprimis syphilis larvata, raro plethora et fibra rigida.

§. 28.

Prognosis in hoc morbo modo fausta, modo infausta est, prouti causa ammoveri potest aut non; nonnunquam solummodo primis periodis menstruatio difficilis invenitur, plenaria vero pubertatis evolutione peracta absque ullo adhi-

bito remedio per se disparent dolores variaque alia incommoda, et fluxus regularis redditur; inveniuntur puellae, quae omni mense menstruatione dolorifica vexantur; donec matrimonium, et quidem foecundum iniverint; narrantur imo casus, ubi haec menstruatio dolorifica haereditaria erat; nonnunquam per totam vitam menses nonnisi cum doloribus fluunt, et sterilitas inde evolvitur.

§. 29.

Therapia contra hanc anomaliam multis premitur difficultatitbus. Necesse est primo, investigentur causae remotae simulque aufferantur, et si remotis his malum non devictum foret, cura instituatur contra dispositionem tam localem, quam universalem in spasmos et debilitatem systematis uterini. Quadrant hunc in finem: Assa foetida, diu in usum tracta, Camphora, Quassia, Elixir. acidum, balnea tepida, postmodum frigida, martialia. Si infarctus viscerum abdominalium vel vasorum uteri in causa sunt, remedia contra hos laudata in usum trahantur. Adhibitis frustra hisce remediis saepius adhuc magnetismus, qui in omnibus nevrosibus, intimum cum menstruatione foventibus nexum cum fructu adhibetur, debellando huic malo par erit. Cura palliativa consistit in methodo nervos et spasmos paccante. Internus usus Opii, optime adhibiti in emulsione oleosa, cataplasmata cum herbis narcoticis ad genitalia et regionem uterinam, clysmata emollientia, semicupia tepida exoptatum praestabunt auxilium. In individuis plethoricis, praesente saburra gastrica, Opium erit commutandum cum Extr. Hyosciami.

Menstrua alio loco comparentia (vicaria).

§. 30.

Nulla fere corporis pars invenitur, e qua menstruatio nondum fuisset observata; plurimis autem in casibus annomalicis ex tractu inferiore intestinorum et quidem ex vasis haemorr-

hoidalibus, e ventriculo qua vomitus cruentus et e gingiva observatur.. Subinde vasorum uteri energiam supplent: organa urinalia, organa respirationis, adparet haemoptoë, epitaxis, prorumpit sudor cruentus, aut vulnera et ulcera periodice sanguinem fundunt; sic etiam e mammis sanguis periodice stillat. Quandoque sanguinis eruptio per plura simul fit loca. Rarius aliae se-et excretiones adauctae fluxum menstruum supplent, uti ptyalismus, diarrhoea, urinae et sudoris se-et excretio adaucta. Menstrua ipsa tunc temporis parcius fluunt aut penitus silent.

§. 31.

Causa proxima hujus phaenomeni admodum mirabilis adhucdum latet; quod autem attinet remotas, quae in casu quodam menstruorum loco hanc aut illam se-et excretionem vicariam inducunt, admodum diversae sunt. Subinde una ex parte forma et magnitudo uteri et ovariorum a normali deflectens, structurae et organisationis vitia diversi generis, uti: indurationes, abscessus, scirrhus, steatomata et sarcomata, hydrops etc. et omnia, quae nisum se-et excernendi vasorum uterinorum modo directo aut indirecto impediunt, hujus morbi causam ferunt; altera autem ex parte energia aliorum organorum abnormiter excitata aut per constitutionem originariam (hinc sub habitu phtisico vicarius e pulmonibus sanguinis fluxus, sub habitu haemorrhoidario haemorrhoides vicarie fluentes observantur) aut per stimulos locales. Tandem menstruatio vicaria non raro provocatur per abnormem rationem energiae reproductivae inter organa genitalia et inter totum organismum, praecipue, si una causarum excitantium accedit.

§. 32.

Si vitia organica causam morbi sistunt, admodum parva spes, menstrua ad normam revocandi foveri potest, quae eo solum augetur, si menstruorum turbae non adeo

graves, constitutio corporis fortis et circumstantiae externae aegrae favent; in casu contrario, aut si eminet e. g. habitus phtisicus, qui anomaliis mensium admodum favet, prognosis multo infaustior evadit. Si energia universalis localem vasorum uteri longe superat, morbi decursus eo pertinacior erit, quo magis energia localis uteri imminuta et quo magis universalis praevalet. Prognosis porro varia erit, prouti differt organon, in quo secretio vicaria contingit, pro varia, qua sanguis secretus egreditur via, nec non pro varia, quae excernitur, quantitate.

§. 33.

Hujus fluxus menstrui a loco aberrantis cura ante omnia eo tendit, ut ad viam normalem reducatur; quod tamen, ut praestare posset medicus, non raro gravibus premitur difficultatibus, prae caeteris vero causam hujus anomaliae eruere tentet, oportet. Si in aliis organis praevalens invenitur incitatio, uti sub congestionibus ad encephalon, ad pulmones, ad vasa haemorrhoidaria, quae sat facile ad haemorrhagias usque intenduntur, harum causas investigare et amovere debet medicus. Si e. g. causa congestionum ad pulmones infarctus et tumores viscerum abdominalium sunt, isti methodum solventem et evacuantem eo magis expostulant, quum eadem methodo organa genitalia simul incitentur, si vero ex sanguinis uberiore elaboratione et plethora, aut si ex habitu apoplectico prodeunt, amotis omnibus stimulis methodo antiphlogistica et irritatione aliorum organarum minus nobilium antagonistica optimum experieris effectum. Regimen simul ordinetur egelidum, amoveantur stragula, plumis constructa, diaeta ex vegetabili constet victu, potulenta sint acidula; si stases adsunt pulmonum, serum lactis praeprimis utile; propinentur saepius remedia eccoprotica, nec non raro venaesectio in extremitate inferiore instituta, pediluvia instante menstruatione, aut hirudines ad perinaeum summe salutarem adferent effectum.

Quibus omnibus remediis pro varia rerum conditione adhibendis, adduntur topica: semicupia tepida, pediluvia sinapina, cum cineribus, fomenta tepida, cataplasmata emollientia, frictiones etc.

Cessatio mensium.

§. 34.

Iam superius commemoravi, quod sub climate nostro cessatio mensium intra quadragesimum quintum et quinquagesimum annum contingere soleat. Variat tamen hoc tempum sicuti illud introitus juxta constitutionem, clima, vitae rationem. Quo citius menses intravere, quo laboriosior erat vita mulieris, quo frigidius temperamentum, tanto citius menstrua cessant. Circumstantiis contrariis contingentibus, serius disparent. Duplici ratione haec cessatio contingit: vel subito et una vice, quod pejus est, vel sensim decrescendo, semel aut bis deficiente fluxu, postmodum iterum adparente et sic semper rarius redeunte, donec penitus sileat. Haec ratio cessationis optima et minime nocua observatur. Contingit in pluribus feminis, quod, intrante haemorrhagia magna, fluxus finiatur. Raro in casu menstrua, interdum emanentia ad sexagesimum usque annum pergunt et ultra. Observare concessum est in aliis aestum fugacem cum sudoribus ejusdem conditionis vel exanthemata varia quae semper in salutem aegrarum convertuntur, praecursores sistere mensium cessationis. Alias sese explicat frigus, quod semper suspicionem de congestionibus et adfectionibus interuis movet.

§. 35.

Periodus haec semper maximi momenti in vita mulieris haberi meretur. Quare summo jure nomine crisis muliebris vitae insignitur, nam mortalitas tum temporis semper est maxima.

Effectus cessationis sunt duplices. Fruuntur nempe exinde feminae optima valetudine, imo magis florent, quam priori tempore; in aliis vero sese explicant: congestiones ad encephalon, pulmones ventriculum, haemorrhagiae, imprimis vomitus cruentus, profluvia mucosa et serosa, nevroses porro varii generis, hysteria, spasmi, imprimis cardialgia; evolvuntur sensim sensimque cachexiae variae, arthritis etc., in conspectum veniunt pseudoorganisationes, scirrhi, canceres, polypi uteri.

§. 36.

Therapia, adparentibus congestionibus et aliis symptomatibus morbosis optimo cum successu jubet fieri venaesectionem, quae juxta gradum plethorae etiam bis quolibet anno repetenda est. Laudatur quoque adplicatio cruentarum cucurbitarum. Interne Cremor Tartari, aqua soteria Saidschützensis. Plethora gradu majori perstante; intrante metu de metastasibus, imprimis scirrhosis adplicatio fonticuli in pede aut brachio multum praestabit. Sensibilitate praevalente indicatum est Elix. acid. Diaeta sit antiphlogistica et exerceatur corporis motus.

Sanguinis menstrui qualitas abnormis.

§. 37.

Sanguis, qui fluxu menstruo excernitur, in statu morboso varias abnormes ostendit qualitates; modo tenuis est, modo spissior et coagulatus, coloris nunc laete rubentis, nunc muco, pure aut ichore remixtus profluit. Fons, unde sanguinis qualitas abnormis prodit, admodum varius est, nunc chylificatio et sanguificatio abnormis in vasis uteri aut aliena vegetatio, nunc effluxus sanguinis secreti ex utero impeditus, nunc aliae secretiones abnormes et processus morbosi e. g. inflammationes membranae mucosae,

suppuratio aut exulceratio in organis genitalibus causam ferunt.

Prognosim et therapiam hic iterum variam esse, ex adductis abunde patet.

Fluor albus (leucorrhoea).

§. 38.

Intelligimus sub fluore albo effluxum fluidi mucosi, aut seroso-mucosi tenacis, ab initio inodoris et blandi, tractu autem temporis acris et foetentis, nunc flavescentis, nunc viridicantis e vagina, imo ex utero absque ulla infectione syphilitica. Fluor albus ab initio et in gradu leviori aliquot dies ante menstrua adparet, dein vero iterum evanescit, gradu tamen majori, et si pertinacius perstat malum, fluxus menstruus magis mucosus redditur, imo fluore valde adaucto evanescunt menses et solus pergit fluxus mucosus. Saepius absque adfectionibus aliis morbosis longius perfertur, sed pertinacior, offerens qualitatem acrem, semper in detrimentum totius organismi agit, exoriuntur nempe inde habitus cachecticus, hysteria, assimilatio imperfecta; ultimo tandem associare sese potest febris hectica, tabes. Summam adtentionem in statuenda diagnosi meretur praesens forsan scirrhus uteri, qui vel causa, vel effectus fluoris albi invenitur. Suspicatur hic, si dolores pungentes, lancinantes aut rodentes intensi pelvim permeant, si profluvium acre odoris foetentis, nonnunquam sanguine remixtum aut adest, aut sub decursu adsociatur. Talibus sub circumstantiis exploratio cauta summe necessaria est.

§. 39.

Dispositionem in hunc morbum animadvertere licet in feminis constitutionis lymphaticae, temperamenti phlegmatici.

Causa proxima hujus morbi *sicuti omnium proflaviorum* semper latet vel in irritatione vel debilitate locali, vel in ambabus conjunctis. Remotae sunt: vita sedentaria cum victu insimul frugali, praeprimis usus potulentorum tepidorum, potuum theatorum aut lactis pinguis, quare in classi mulierum, vitam laboriosam agentium, pauperum, multo rarius inveniuntur, quam in nobilioribus, inertiae dicatis. Contribuunt porro ad progenium hujus morbi: Clima humidum, suppressio transpirationis cutaneae, vestimenta levia, debilitas localis inducta per coitum frequentiorem, puerperia etc., instinctus sexualis excedens, per phantasiam exaltatam, lecturam librorum eroticorum, onaniam, metastases varii generis, imprimis catarrhalis, rheumatica, psorica, scrophulosa, haemorrhoides anomalae, haemorrhoides mucosae vaginae, suppressio mensium et inde inducta secretio vicaria glandularum mucosarum; infarctus viscerum abdominalium, vermes, irritamenta localia, polypi, scirrhi uteri, imo ascarides.

§. 40.

Prognosis et in hoc morbo varia pro constitutione individuali, pro varia causa aut morbo excitante, pro diversa duratione, qualitate aut quantitate secreti.

Fluor albus semper diu durantem et ardue sanandum sistit morbum. Facilius sanatur, si prodroma primae evolutionis, vel sequela suppressionis menstruorum est, ubi intrante aut revocato suppresso fluxu menstruo disparet. Difficilior contingit sanatio, si haereditarius aut vitium constitutionis aut effectus immutabilis vitae rationis, vel symptoma cujuslibet menstruationis est. Si porro fluor nondum diu perstat, si circumstantiae externae favent, et conveniens cito adplicatur tractamen, prognosis laetior. In individuis juvenibus ingruente fluxu menstruo, saepe sanatur, in feminis graviditas saepe fluorem tollit. Praesente vere insigni debilitate et laxitate totius organismi et organorum genita-

lium, evolutis jam febri hectica, tabe, praesentibus vitiis organicis insanabilibus prognosis nonnisi arctissimis limitanda est limitibus, imo penitus infausta saepe statuenda.

§. 41.

In cura superstruenda causae praecipue respiciantur oportet. Quare si vita sedentaria, vestimenta levia in causa sunt, motus corporis fortiores quotidie instituti, vestimenta calidiora multum praestabunt, imo totam curam explebunt. Porro tractamen instituatur congruum in saburras gastricas, vermes, infarctus, dyscrasias scrophulosas et alias, si praesto sunt. Moderetur instinctus sexualis excedens, roburetur organismus, si debilitas universalis in causa est. De medicaminibus interne adhibendis adduci merentur: Rheum, parva dosi porrectum, Aloë, Extracta amara, Resin. Quajaci cum Calomel. et Sulph. antim. aurat.

Remotis hisce causis, perstante tamen fluore albo et nulla alia causa detecta, quam debilitate locali, transgrediatur ad adplicationem remediorum specificorum tam inquam externorum, quae in uterum directe agunt. Referuntur ad prima: Balsamus de Copaiva, Sabina, Rheum, in parva dosi, Terra Catechu, Alumen, China, Ratanhia, Cort. Ulmi, Vitriol. Mart., Baryta muriat., Aquae ferratae, Pyrmontanae, Driburgenses, et Spaanae.

Ad externa spectant: Lotio cum aqua frigida, aqua calcis et balnea.

Insufficientibus hisce, si major perstat localis debilitas et suspicium moveri debet de vitiis organicis uteri, remedia topica fortiora et injectiones sunt adhibendae et quidem ex Aqua Calcis, Decoct. Cort. Ulmi, Hb. Cicutae cum Aqu. laurocerasi, Sublimat., ultimo tandem Dct. Chinae, Cort. Quercus, Alumin., Vitriol. Mart., Argent. nitric. Porro fumigationes balsamicae cum Mastice, Benzoë, Storace, balnea cum Cort. Querc., sulphurata, marina et ferrata.

Theses.

I.

Actio medicamentorum in sano multum differt ab illa in aegro.

II.

Ad circulationem pulmones magis, quam cor conferunt.

III.

Omnis dyscrasia potest fieri mater fungorum.

IV.

Inter methodos cataractam operandi nulla reliquis palmam praeripit.

V.

Educatio moderna leucorrhoeae favet.

VI.

Arthritis proteus morborum.

VII.

Ope menstruorum nihil superflui sanguinis eliminatur.

VIII.

Partus serotinus est possibilis et lex eum defendens non contradicit legibus naturae.

IX.

Crescente Cultura, crescit morborum numerus.

X.

Hepar est pulmo abdominalis.

XI.

Medicus notionibus chirurgicis destitutus, inermis manet miseriarum sublevator.

XII.

Non est medicus, qui non simul philosophus.

XIII.

Menstruorum anomalorum causae permultae latent.

XIV.

Non datur hernia incarcerata spasmodica.

XV.

Prognosis semper anceps statuenda.